

M. TULLI CICERONIS
ORATIONES SELECTAE.

SCHOLARUM IN USUM

EDIDIT

ALOISIUS KORNITZER.

DE IMPERIO CN. POMPEI ORATIO.

VINDOBONAE.

SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII.

MDCCCXCIII.



M. TULLI CICERONIS
ORATIO
DE IMPERIO CN. POMPEI.

SCHOLARUM IN USUM

EDIDIT

ALOISIUS KORNITZER.

EDITIO ALTERA CORRECTIOR.

VINDOBONAE.

SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII.

MDCCCXCIII.



- Caesaris Commentarii de bello gallico. Iterum recogn. Em. Hoffmann. 16 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 80 kr.
- de bello civili. Accedunt comment. de bello Alexandrino, Africano, Hispaniensi. Iterum recogn. Em. Hoffmann. 20 Bogen. cart. 80 kr.
- Ciceronis in L. Catilinam orationes quattuor. Tertium ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 5 $\frac{3}{4}$ Bogen. cart. 35 kr.
- Cato maior de senectute. Ed. Al. Kornitzer. Editio altera. Mit Index nom. 3 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 30 kr.
- Laelius de amicitia. Ed. Al. Kornitzer. Editio altera. Mit Index nom. 3 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 30 kr.
- Orationes pro T. Annio Milone, pro Q. Ligario, pro rege Deiotaro. Ed. Al. Kornitzer. Editio altera correctior. Mit Index nom. 7 $\frac{1}{4}$ Bogen. cart. 45 kr.
- pro Sex. Roscio Amerino Oratio. Iterum ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 4 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 35 kr.
- de officiis libri tres. Iterum ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 13 Bogen. cart. 60 kr.
- in C. Verrem accusationis liber quartus. Ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 8 $\frac{1}{4}$ Bogen. cart. 45 kr.
- in C. Verrem accusationis liber quintus. Ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 8 Bogen. cart. 45 kr.
- Oratio de imperio Cn. Pompei. Editio altera. Ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 3 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 30 kr.
- Oratio pro P. Sulla, pro A. Licinio Archia poeta. Tertium ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 5 $\frac{3}{4}$ Bogen. cart. 40 kr.
- in M. Antonium oratio Philippica secunda. Ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 4 $\frac{3}{4}$ Bogen. cart. 35 kr.
- Oratio pro P. Sestio. Ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 8 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 45 kr.
- pro L. Murena oratio. Ed. Al. Kornitzer. Mit Index nom. 5 $\frac{3}{8}$ Bogen. cart. 40 kr.
- Demosthenis orationes selectae. Ed. Franciscus Slameczka. Accedunt ex orationibus XVIII et XIX Excerpta. Adiecta est tabula. Cum indice nominum. 9 Bogen cart. 45 kr.

Die mit * bezeichneten Bearbeitungen sind vom h. Ministerium approbiert.

100
F. J. Ebenhöch'sche
Buchhandlung
(Heinrich Korb)
Linz a. d. Donau

M. TULLI CICERONIS
ORATIONES SELECTAE.

SCHOLARUM IN USUM

EDIDIT

ALOISIUS KORNITZER.

~~~~~  
DE IMPERIO CN. POMPEI ORATIO.  
~~~~~

VINDOBONAE.
SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII.
MDCCCXCHL.

M. TULLI CICERONIS
ORATIO
DE IMPERIO CN. POMPEI.

SCHOLARUM IN USUM

EDIDIT

ALOISIUS KORNITZER.

~~~~~  
EDITIO ALTERA CORRECTIOR.  
~~~~~

VINDOBONAE.
SUMPTIBUS ET TYPIS CAROLI GEROLD FILII.
MDCCCXCHL.

DISCREPANTIA SCRIPTURAE
AB EDITIONE C. F. W. MUELLERI.

§. 6. *genus est belli*, M. *genus est enim belli*. — §. 16. *quo tandem igitur*, M. *q. t. [igitur]*. — §. 18. *nos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare* (ed. Hervagiana, Nohl), M. *n. publicanis omissis vect. p. v. r.* — §. 19. *videte*, num, M. *v. ne non d.* — §. 28. *verba mixtum ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus plus uno nomine suspecta delevi* Halmium, Eberh., Kays., Nohl., al. secutus. — §. 31. *testes nunc vero iam omnes*, M. *t. n. v. i. omnes sunt*. — §. 33. *in praedonum fuisse potestatem vel invitis codicibus restituendum fuit* (Kays., Klotz., Nohl.), cf. Gelli N. A. I. 7. 16; M. *in p. f. potestate*. — §. 40. *qua ille sit* (Halm., Eberh.), M. *qua sit*. — §. 66. *verba qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum* M. *ecienda censet*. — §. 67. *praetores*, quae est codicum scriptura, optime defendit Nohl. praefat. edit.¹ p. VI, M. *imperatores*. — *ib. neque nos* (Nohl., Eberh.) *quidquam aliud adsequi*, M. *neque eos q. al. ads.* — *ib. et quibus iacturis, quibus condicionibus*, M. *quibus iacturis et q. c.* — §. 68. *quare videte, horumne* (Madvig), M. *p. v. . . . responderene*.

DE IMPERIO CN. POMPEI AD QUIRITES ORATIO.

ARGUMENTUM.

Adversus Mithridatem Magnum, Ponti regem, cum a. 74 bellum renovasset, missi sunt a senatu consules illius anni L. Licinius Lucullus et M. Aurelius Cotta. Atque Cottam quidem rex prope Chalcedonem¹⁾ adortus terra marique superavit; sed Lucullus exercitum Mithridatis ad Cyzicum, quam urbem rex obsidebat, ferro fameque delevit, urbem obsidione liberavit, classem regiam ad Tenedum depressit a. 73, Mithridatem ipsum cladibus fractum coegit in Pontum, inde ad Tigranem generum, Armeniae regem, profugere. Utriusque autem regis copias coniunctas Lucullus ingenti proelio ad Tigranocertam commisso parva manu fudit a. 69. His tantis rebus gestis summus ille imperator seditione militum, qui sequi eum longius nolebant, quasi in media victoria consistere coactus est. Hac autem militum licentia et M'. Acili Glabrionis, qui Lu-

¹⁾ v. indicem s. v.

Cicero, de imp. Cn. Pompei.

cullo in imperio successit, inertia atque socordia callide usus est Mithridates ad omnia fere, quae amiserat, recuperanda. Glabrio enim, homo plane impar tanto bello gerendo, e Bithyniae provinciae finibus ausus omnino non est excedere. Quae cum ita essent, C. Manilius tribunus plebis legem ad populum tulit a. 66 ineunte, uti imperium belli Mithridatici Cn. Pompeio mandaretur, qui tum forte bello maritimo adversus Ciliciae piratas confecto in Asia hiemabat. Quam legem vehementissime impugnabant optimates, haud iniuria veriti, ne unius nimis augetur potentia, cum lege illa Manilia et Asia provincia, cui praefuerat Lucullus, et Bithynia, cui Glabrio praecerat, praeterea Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia provinciae, classis item et omnes copiae maritimae, quas piratico bello iam obtinuerat Pompeius, unius potestati permitterentur. Contra Cicero, qui eo anno praetor erat, suasor exstitit legis Maniliae et hac, quae infra legitur, oratione Pompeium, cuius virtutes et res superioribus bellis gestas summis laudibus effert, unice dignum esse probare studet, cui tanti belli imperium traderetur. Atque perlata est lex Manilia summo populi studio cunctis suffragiis.

1 Quamquam mihi semper frequens conspectus
1 vester multo iucundissimus, hic autem locus ad
agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus
est visus, Quirites, tamen hoc aditu laudis, qui
semper optimo cuique maxime patuit, non mea

me voluntas adhuc, sed vitae meae rationes ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt. Nam cum antea per aetatem nondum huius auctoritatem loci attingere auderem statueremque nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria adferri oportere, omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus umquam fuit ab iis, qui vestram causam defenderent, et meus labor in privatorum periculis
10 caste integreque versatus ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus. Nam cum propter dilationem comitorum ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis et quid aliis praescriberetis. Nunc cum et auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis, et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilantibus ex forensi usu prope cotidiana dicendi exercitatio potuit adferre, certe et si quid auctoritatis in me est, apud eos utar, qui eam mihi dederunt, et si quid in dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse duxerunt. Atque illud
20 in primis mihi laetandum iure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini possit. Dicendum est enim de Cn. Pompei singulari eximiaque virtute; huius autem orationis difficilius est exitum quam principium invenire. Ita mihi
30 non tam copia quam modus in dicendo quaerendus est.

² Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde
⁴ haec omnis causa ducitur, bellum grave et pericul-
 osum vestris vectigalibus ac sociis a duobus
 potentissimis regibus infertur, Mithridate et Ti-
 grane, quorum alter relictus, alter lacessitus occa-
 sionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse
 arbitratur. Equitibus Romanis, honestissimis viris,
 adferuntur ex Asia cotidie litterae, quorum magnae
 res aguntur in vestris vectigalibus exercendis
 occupatae; qui ad me pro necessitudine, quae
 mihi est cum illo ordine, causam rei publicae
⁵ periculaque rerum suarum detulerunt: Bithyniae,
 quae nunc vestra provincia est, vicos exustos esse
 complures; regnum Ariobarzanis, quod finitimum
 est vestris vectigalibus, totum esse in hostium
¹⁵ potestate; L. Lucillum magnis rebus gestis ab eo
 bello discedere; huic qui successerit non satis
 esse paratum ad tantum bellum administrandum;
 unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum
 imperatorem deposci atque expeti, eundem hunc
²⁰ unum ab hostibus metui, praeterea neminem.

⁶ Causa quae sit, videtis; nunc, quid agendum
 sit, considerate. Primum mihi videtur de genere
 belli, deinde de magnitudine, tum de im-
 peratore deligendo esse dicendum. ²⁵

Genus est belli eius modi, quod maxime
 vestros animos excitare atque inflammare ad perse-
 quendi studium debeat: in quo agitur populi
 Romani gloria, quae vobis a maioribus cum magna
 in omnibus rebus, tum summa in re militari tradita
³⁰ est; agitur salus sociorum atque amicorum, pro

qua multa maiores vestri magna et gravia bella
 gesserunt; aguntur certissima populi Romani vecti-
 galia et maxima, quibus amissis et pacis orna-
 menta et subsidia belli requiretis; aguntur bona
⁵ multorum civium, quibus est a vobis et ipsorum
 et rei publicae causa consulendum.

Et quoniam semper appetentes gloriae praeter
⁷ ceteras gentes atque avidi laudis fuistis, delenda
 est vobis illa macula Mithridatico bello superiore
¹⁰ concepta, quae penitus iam insedit ac nimis in-
 veteravit in populi Romani nomine, quod is, qui
 uno die tota in Asia, tot in civitatibus, uno nuntio
 atque una significatione litterarum cives Romanos
 omnes necandos trucidandosque curavit, non modo
¹⁵ adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit,
 sed ab illo tempore annum iam tertium et vicesi-
 mum regnat, et ita regnat, ut se non Ponti neque
 Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere
²⁰ ex patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc
 est in Asiae luce, versari. Etenim adhuc ita nostri
⁸ cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo
 insignia victoriae, non victoriam reportarent.
 Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de
 Mithridate, duo fortissimi viri et summi impera-
²⁵ tores, sed ita triumpharunt, ut ille pulsus supe-
 ratusque regnaret. Verum tamen illis imperatoribus
 laus est tribuenda, quod egerunt, venia danda,
 quod reliquerunt, propterea quod ab eo bello
 Sullam in Italiam res publica, Murenam Sulla
³⁰ revocavit.

Mithridates autem omne reliquum tempus non ⁴

ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit; qui postea cum maximas aedificasset ornassetque classes exercitusque permagnos, quibuscumque ex gentibus potuisset, comparasset et se Bosphoranis, finitimis suis, bellum inferre simularet,⁵ usque in Hispaniam legatos ac litteras misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus, ut, cum duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione¹⁰ districti de imperio dimicaretis. Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianae atque Hispaniensis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompei divino consilio ac singulari virtute depulsum est; in altera parte ita res a L. Lucullo¹⁵ summo viro est administrata, ut initia illa rerum gestarum magna atque praeclara non felicitati eius, sed virtuti, haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpa, sed fortunae tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco et ita²⁰ dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione mea neque falsa adfecta esse videatur; de vestri imperii dignitate atque gloria, quoniam²⁵ is est exorsus orationis meae, videte, quem vobis animum suscipiendum putetis.

5 Maiores nostri saepe mercatoribus aut naviculariis nostris iniuriosius tractatis bella gesserunt; vos tot milibus civium Romanorum uno nuntio atque uno tempore necatis quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati³⁰ superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae

lumen, extinctum esse voluerunt; vos eum regem inultum esse patiemi, qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem⁵ imminutam civium Romanorum non tulerunt; vos creptam vitam neglegetis? Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt; vos legatum omni supplicio interfectum relinquetis? Videte ne, ut¹² illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam tradere, sic vobis turpissimum sit id,¹⁰ quod accepistis, tueri et conservare non posse.

Quid? quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur, quo tandem animo ferre debetis? Regno est expulsus Ariobarzanes¹⁵ rex, socius populi Romani atque amicus; imminent duo reges toti Asiae non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis atque amicis; civitates autem omnes cuncta Asia atque Graecia vestrum auxilium exspectare propter periculi magnitudinem²⁰ coguntur; imperatorem a vobis certum deposcere cum praesertim vos alium miseritis, neque audent neque se id facere sine summo periculo posse arbitrantur. Vident et sentiunt hoc idem quod²⁵ vos, unum virum esse, in quo summa sint omnia, et eum propter esse, quo etiam carent aegrius; cuius adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intellegunt ac retardatos. Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut³⁰ se quoque, sicut ceterarum provinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro com-

mendetis, atque hoc etiam magis, quod ceteros in provinciam eius modi homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant, hunc audiebant antea,⁵ nunc praesentem vident tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime comoratur.

⁶ Quare si propter socios nulla ipsi iniuria¹⁰ laccessiti maiores nostri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella gesserunt, quanto vos studio convenit iniuriis provocatos sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere, praesertim cum de maximis vestris vecti-¹⁵ galibus agatur? Nam ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus, Asia vero tam opima est ac fertilis, ut et ubertate agrorum et varietate fructuum et magnitudine²⁰ pastionis et multitudine earum rerum, quae exportentur, facile omnibus terris antecellat. Itaque haec vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem et pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defen-²⁵ denda. Nam in ceteris rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse adfert calamitatem. Nam cum hostium copiae non longe³⁰ absunt, etiam si irruptio nulla facta est, tamen pecuaria relinquitur, agri cultura deseritur, merca-

torum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest; quare saepe totius anni fructus uno rumore periculi atque uno belli terrore amit-⁵ titur. Quo tandem igitur animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia nobis pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, cum duo reges cum maximis copiis propter adsint? cum una excursio equitatus perbrevis tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in saltibus¹⁰ habent, quas in agris, quas in portubus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructui sunt, conservaveritis, non solum, ut¹⁵ ante dixi, calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

Ac ne illud quidem vobis neglegendum est,⁷ quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona¹⁷ civium Romanorum pertinet, quorum vobis pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam et publicani, homines honestissimi atque ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt, quorum ipsorum per se²⁰ res et fortunae vobis curae esse debent; etenim si vectigalia nervos esse rei publicae semper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte esse dicemus. Deinde ex ceteris ordinibus homines gnavi atque²⁵ industrii partim ipsi in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis, partim eorum

in ea provincia pecunias magnas collocatas habent. Est igitur humanitatis vestrae magnum numerum eorum civium calamitate prohibere, sapientiae videre multorum civium calamitatem a re publica seiunctam esse non posse. Etenim primum illud parvi refert, nos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare; neque enim isdem redimendi facultas erit propter calamitatem neque aliis voluntas propter timorem. Deinde quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id quidem certe calamitate docti memoria retinere debemus. Nam tum, cum in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse. Non enim possunt una in civitate multi rem ac fortunas amittere, ut non plures secum in eandem trahant calamitatem. A quo periculo prohibete rem publicam et mihi credite, id quod ipsi videtis: haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicata est cum illis pecuniis Asiaticis et cohaeret; ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefacta motu concidant. Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium coniunctae cum re publica defendantur.

⁸ Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici, belli genus esse ita necessarium, ut sit gerendum, non esse ita magnum, ut sit pertimescendum. In quo

maxime laborandum est, ne forte ea vobis, quae diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur. Atque ut omnes intellegant me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro et sapienti homini et magno imperatori debeatur, dico eius adventu maximas Mithridati copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse urbemque Asiae clarissimam nobisque amicissimam, Cyzicenorum, obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine et oppugnatam vehementissime, quam L. Lucullus virtute, adsiduitate, consilio summis obsidionis periculis liberavit; ab eodem imperatore classem magnam et ornatam, quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammata raperetur, superatam esse atque depressam; magnas hostium praeterea copias multis proeliis esse deletas patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui antea populo Romano ex omni aditu clausus fuisset; Sinopen atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornatas ac refertas ceterasque urbes Ponti et Cappadociae permultas uno aditu adventuque esse captas; regem spoliatum regno patrio atque avito ad alios se reges atque ad alias gentes supplicem contulisse, atque haec omnia salvis populi Romani sociis atque integris vectigalibus esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis atque ita, Quirites, ut hoc vos intellegatis, a nullo istorum, qui huic obtrectant legi atque causae, L. Lucillum similiter ex hoc loco esse laudatum.

Requiretur fortasse nunc, quem ad modum,

cum haec ita sint, reliquum possit magnum esse bellum. Cognoscite, Quirites; non enim hoc sine causa quaeri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam praedicant⁵ in fuga fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa maerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum¹⁰ omnium, quas et a maioribus acceperat et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum conghesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. Ita illum in persequendi¹⁵ studio maeror, hos laetitia tardavit. Hunc in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit diffidentemque rebus suis confirmavit et adflictum erexit perditumque recreavit. Cuius in regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures²⁰ etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatae sunt. Erat enim metus iniectus iis nationibus, quas numquam populus Romanus neque lacessendas bello neque temptandas putavit; erat etiam alia gravis atque vehemens opinio, quae animos gentium²⁵ barbararum pervaserat, fani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in cas oras nostrum esse exercitum adductum. Ita nationes multae atque magnae novo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem exercitus, tametsi urbem³⁰ ex Tigrani regno ceperat et proeliis usus erat

secundis, tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio suorum commovebatur. Hic iam plura²⁴ non dicam; fuit enim illud extremum, ut ex iis locis a militibus nostris reditus magis maturus quam processio longior quaereretur. Mithridates autem et suam manum iam confirmarat, et eorum, qui se ex ipsius regno collegerant, et magnis adventiciis auxiliis multorum regum et nationum iuvabatur. Nam hoc fere sic fieri solere accepimus,⁵ ut regum adflictae fortunae facile multorum opes adliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt aut vivunt in regno, ut iis nomen regale magnum et sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum²⁵ incolumis numquam est ausus optare. Nam cum se in regnum suum recepisset, non fuit eo contentus, quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram unquam attingeret, sed in exercitum nostrum clarum atque victorem²⁰ impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, sicut poetae solent, qui res Romanas scribunt, praeterire me nostram calamitatem, quae tanta fuit, ut eam ad aures imperatoris non ex proelio nuntius, sed ex sermone rumor adferret. Hic in illo ipso malo²⁶ gravissimaque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quod imperii diuturnitati modum statuendum vetere exemplo putavistis, partem militum, qui iam stipendiis confecti erant, dimisit, partem M. Glabrioni tradidit.³⁰ Multa praetereo [©]consulto, sed ea vos coniectura

perspicite, quantum illud bellum factum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes, novus imperator noster accipiat vetere exercitu pulso.

¹⁰ Satis mihi multa verba fecisse videor, quare ⁵
²⁷ esset hoc bellum genere ipso necessarium, magnitudine periculosum; restat ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis, ¹⁰
ut haec vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putaretis! Nunc vero cum sit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam ¹⁵
virtute superarit, quae res est, quae cuiusquam ²⁸
animum in hac causa dubium facere possit? Ego enim sic existimo, in summo imperatore quattuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. ²⁰

Quis igitur hoc homine scientior umquam aut fuit aut esse debuit? qui e ludo atque e pueritiae disciplinis bello maximo atque acerrimis hostibus ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est; qui extrema pueritia miles in exercitu ²⁵
fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator; qui saepius cum hoste conflixit quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit quam ceteri legerunt, plures provincias confecit quam alii concupiverunt; cuius ³⁰
adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis

praeceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita. Quod denique genus esse belli potest, in quo illum non exercuerit fortuna rei publicae? ⁵
Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta nullam rem esse declarant in usu positam militari, quae huius viri scientiam ¹⁰
fugere possit.

Iam vero virtuti Cn. Pompei quae potest ¹¹
oratio par inveniri? Quid est quod quisquam aut ²⁹
illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit adferre? Neque enim illae sunt solae ¹⁵
virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus ²⁰
aut audivimus, non fuerunt. Testis est Italia, quam ³⁰
ille ipse victor L. Sulla huius virtute et subsidio confessus est liberatam; testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli, sed consilii celeritate explicavit; testis est Africa, ²⁵
quae magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit; testis est Gallia, per quam legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum internicione patefactum est; testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos ³⁰
prostratosque conspexit; testis est iterum et saepius Italia, quae cum servili bello taetro pericu-

losoque premeretur, ab hoc auxilium absente expectavit, quod bellum exspectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu sublato ac sepultum; testes nunc vero iam omnes orae atque omnes exterae gentes ac nationes, denique maria omnia cum universa tum in singulis oris omnes sinus atque portus.

Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset, aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non se aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut hieme aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas, quam multas aut metu relictas aut a praedonibus captas urbes esse sociorum?

12 Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longe a domo bellare et propugnaculis imperii sociorum 25 fortunas, non sua tecta defendere. Sociis ego nostris mare per hos annos clausum fuisse dicam, cum exercitus vestri numquam a Brundisio nisi hieme summa transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi

Romani redempti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures in praedonum potestatem pervenerint? Cnidum aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbes, innumera- bilesque alias captas esse commemorem, cum vestros portus atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis? An vero ignoratis portum Caietae celeberrimum ac plenissimum navium inspectante praetore 10 a praedonibus esse direptum, ex Miseno autem eius ipsius liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum gesserat, a praedonibus esse sublato? Nam quid ego Ostiense incommodum atque illam labem atque ignominiam rei publicae querar, cum prope 15 inspectantibus vobis classis ea, cui consul populi Romani praepositus esset, a praedonibus capta atque oppressa est? Pro di immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem adferre rei publicae potuit, 20 ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiatis? Atque haec qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. 25 Quis enim umquam aut obeundi negotii aut consequendi quaestus studio tam brevi tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeio duce tanti belli impetus navigavit? qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliae adiit, Africam exploravit, in Sardiniam cum classe venit atque haec tria frumentaria subsidia

rei publicae firmissimis praesidiis classibusque
 35 munivit. Inde cum se in Italiam recepisset, duabus
 Hispaniis et Gallia Transalpina praesidiis ac navibus
 confirmata, missis item in oram Illyrici maris et
 in Achaiam omnemque Graeciam navibus Italiae
 5 duo maria maximis classibus firmissisque prae-
 sidiis adornavit, ipse autem, ut Brundisio profectus
 est, undequingagesimo die totam ad imperium
 populi Romani Ciliciam adiunxit; omnes, qui ubique
 praedones fuerunt, partim capti interfectique sunt,¹⁰
 partim unius huius se imperio ac potestati dedi-
 derunt. Idem Cretensibus, cum ad eum usque in
 Pamphyliam legatos deprecatoresque mississent,
 spem deditiois non ademit obsidesque imperavit.
 Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe¹⁵
 lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nati-
 ones premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme
 apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate
 confecit.

13 Est haec divina atque incredibilis virtus²⁰
 36 imperatoris. Quid? ceterae, quas paulo ante com-
 memorare coeperam, quantae atque quam multae
 sunt! Non enim bellandi virtus solum in summo
 ac perfecto imperatore quaerenda est, sed multae
 sunt artes eximiae huius administratae comitesque²⁵
 virtutis. Ac primum quanta innocentia debent esse
 imperatores! quanta deinde in omnibus rebus tem-
 perantia! quanta fide, quanta facilitate, quanto
 ingenio, quanta humanitate! Quae breviter qualia
 sint in Cn. Pompeio consideremus; summa enim³⁰
 omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliorum

contentione quam ipsa per sese cognosci atque in-
 tellegi possunt. Quem enim imperatorem possumus³⁷
 ullo in numero putare, cuius in exercitu centuri-
 atus veneant atque venierint? Quid hunc hominem
 5 magnum aut amplum de re publica cogitare, qui
 pecuniam ex aerario depromptam ad bellum admi-
 nistrandum aut propter cupiditatem provinciae
 magistratibus dividerit aut propter avaritiam Romae
 in quaestu reliquerit? Vestra admurmuratio facit,
 10 Quirites, ut agnoscere videamini, qui haec fecerint;
 ego autem nomino neminem; quare irasci mihi
 nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri.
 Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas
 calamitates, quocumque ventum sit, nostri exer-
 15 citus ferant, quis ignorat? Itinera, quae per hosce³⁸
 annos in Italia per agros atque oppida civium
 Romanorum nostri imperatores fecerint, recorda-
 mini; tum facilius statuetis, quid apud exterarum
 nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini
 20 per hosce annos militum vestrorum armis hostium
 urbes an hibernis sociorum civitates esse deletas?
 Neque enim potest exercitum is continere imperator,
 qui se ipse non continet, neque severus esse in
 iudicando, qui alios in se severos esse iudices non
 25 vult. Hic miramur hunc hominem tantum excellere³⁹
 ceteris, cuius legiones sic in Asiam pervenerint,
 ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vesti-
 gium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur?
 Iam vero quem ad modum milites hibernent, coti-
 30 die sermones ac litterae perferuntur; non modo, ut
 sumptum faciat in militem, nemini vis adfertur, sed

ne cupienti quidem cuiquam permittitur; hiemis enim, non avaritiae per fugium maiores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.

14 Age vero ceteris in rebus qua ille sit tem-
40 perantia, considerate. Unde illam tantam celeri-
tatem et tam incredibilem cursum inventum puta-
tis? Non enim illum eximia vis remigum aut ars
inaudita quaedam gubernandi aut venti aliqui novi
tam celeriter in ultimas terras pertulerunt, sed eae
res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt: 10
non avaritia ab instituto cursu ad praedam ali-
quam devocavit, non libido ad voluptatem, non
amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis
ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem;
postremo signa et tabulas ceteraque ornamenta 15
Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda esse
arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem exi-
stimavit. Itaque omnes nunc in iis locis Cn. Pom-
peium sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed
de caelo delapsum intuentur; nunc denique inci- 20
piunt credere fuisse homines Romanos hac quon-
dam continentia, quod iam nationibus exteris in-
credibile ac falso memoriae proditum videbatur;
nunc imperii vestri splendor illis gentibus lucem
adferre coepit; nunc intellegunt non sine causa 25
maiores suos tum, cum ea temperantia magistratus
habebamus, servire populo Romano quam imperare
aliis maluisse. Iam vero ita faciles aditus ad eum
privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum
iniuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate princi- 30
pibus excellit, facilitate infimis par esse videatur.

Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate 42
et copia valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas
imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe
cognovistis. Fidem vero eius quantam inter socios
5 existimari putatis, quam hostes omnes omnium
generum sanctissimam iudicarint? Humanitate iam
tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis
virtutem eius pugnantes timuerint an mansuetu-
dinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin
10 huic hoc tantum bellum transmittendum sit, qui
ad omnia nostrae memoriae bella conficienda divino
quodam consilio natus esse videatur?

Et quoniam auctoritas quoque in bellis ad- 15
ministrandis multum atque in imperio militari valet, 43
15 certe nemini dubium est, quin ea re idem ille im-
perator plurimum possit. Vehementer autem per-
tinere ad bella administranda, quid hostes, quid
socii de imperatoribus nostris existiment, quis
ignorat, cum sciamus homines in tantis rebus, ut
20 aut contemnant aut metuant, aut oderint aut
ament, opinione non minus et fama quam aliqua
ratione certa commoveri? Quod igitur nomen um-
quam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res
gestae pares? de quo homine vos; id quod maxime
25 facit auctoritatem, tanta et tam praeclara iudicia
fecistis? An vero ullam usquam esse oram tam 44
desertam putatis, quo non illius diei fama pervas-
erit, cum universus populus Romanus referto foro
completisque omnibus templis, ex quibus hic locus
30 conspici potest, unum sibi ad commune omnium
gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depo-

poscit? Itaque ut plura non dicam neque aliorum exemplis confirmem, quantum auctoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur; qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas annonae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est unius hominis spe ac nomine, quantam vix in summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset. Iam accepta in Ponto calamitate ex eo proelio, de quo vos paulo ante invitatus admonui, cum socii pertinuissent, hostium opes animique crevissent, satis firmum praesidium provincia non haberet, amissetis Asiam, Quirites, nisi ad ipsum discrimen eius temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. Huius adventus et Mithridatem insolita inflammatum victoria continuit et Tigranem magnis copiis minitantem Asiae retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecit, aut quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

Age vero illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostes populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis tamque diversis tam brevi tempore omnes huic se uni dederunt! quod Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt! Quid?

idem iste Mithridates nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque in Hispaniam misit? eum, quem Pompeius legatum semper iudicavit, iis, quibus erat molestum ad eum potissimum esse missum, speculatorem quam legatum iudicari maluerunt. Potestis igitur iam constituere, Quirites, hanc auctoritatem multis postea rebus gestis magnisque vestris iudiciis amplificatam quantum apud illos reges, quantum apud exterarum nationum valenturam esse existimetis.

Reliquum est, ut de felicitate, quam praestare de se ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus, sicut aequum est homines de potestate deorum, timide et pauca dicamus. Ego enim sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario et ceteris magnis imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam saepius imperia mandata atque exercitus esse commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem et ad gloriam et ad res magnas bene gerendas divinitus adiuncta fortuna. De huius autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisae dis immortalibus oratio nostra aut ingrata esse videatur. Itaque non sum praedicator, quantas ille res domi militiae, terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut eius semper voluntatibus non modo cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes oboedierint, sed etiam venti

tempestatesque obsecundarint; hoc brevissime dicam, neminem umquam tam impudentem fuisse, qui ab dis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas di immortales ad Cn. Pompeium detulerunt. Quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis atque imperii, tum ipsius hominis causa, sicuti facitis, velle et optare debetis.

49 Quare cum et bellum sit ita necessarium, ut neglegi non possit, ita magnum, ut accuratissime sit administrandum, et cum ei imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna, dubitatis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis ab dis immortalibus oblatum et datum est, in rem publicam conservandam atque amplificandam conferatis?

17 Quodsi Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus; nunc cum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit, quid exspectamus? aut cur non ducibus dis immortalibus eidem, cui cetera summa cum salute rei publicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committamus?

51 At enim vir clarissimus, amantissimus rei publicae, vestris beneficiis amplissimis adfectus, Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius,

ab hac ratione dissentiant; quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse et valere oportere confiteor, sed in hac causa, tametsi cognoscetis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem, atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me adhuc dicta sunt, idem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? Si uni omnia tribuenda sint, dignissimum esse Pompeium, sed ad unum tamen omnia deferri non oportere. Obsolevit iam ista oratio, re multo magis quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi, multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi et in senatu contra virum fortem, A. Gabinium, graviter ornateque dixisti, cum is de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset, et ex hoc ipso loco permulta item contra eam legem verba fecisti. Quid? tum, per deos immortales, si plus apud populum Romanum auctoritas tua quam ipsius populi Romani salus et vera causa valisset, hodie hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium teneremus? An tibi tum imperium hoc esse videbatur, cum populi Romani legati, quaestores praetoresque capiebantur, cum ex omnibus provinciis commeatu et privato et publico prohibebamur, cum ita clausa nobis erant maria omnia, ut neque privatam rem transmarinam neque publicam iam obire possemus?

18 Quae civitas antea umquam fuit, non dico
 54 Atheniensium, quae satis late quondam mare
 tenuisse dicitur, non Carthaginiensium, qui per-
 multum classe ac maritimis rebus valuerunt, non
 Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam 5
 disciplina navalis et gloria remansit, quae civitas,
 inquam, antea tam tenuis, quae tam parva insula
 fuit, quae non portus suos et agros et aliquam
 partem regionis atque orae maritimae per se ipsa
 defenderet? At hercule aliquot annos cunctinuos 10
 ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius
 usque ad nostram memoriam nomen invictum in
 navalibus pugnis permanserit, magna ac multo ma-
 xima parte non modo utilitatis, sed dignitatis
 55 atque imperii caruit. Nos, quorum maiores Anti-15
 ochum regem classe Persemque superarunt omni-
 busque navalibus pugnis Carthaginienses, homines
 in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque,
 vicerunt, ii nullo in loco iam praedonibus pares
 esse poteramus; nos, qui antea non modo Italiam 20
 tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris
 auctoritate nostri imperii salvos praestare pote-
 ramus, tum, cum insula Delos tam procul a nobis
 in Aegaeo mari posita, quo omnes undique cum
 mercibus atque oneribus commeabant, referta di-25
 vitiis, parva, sine muro, nihil timebat, idem non
 modo provinciis atque oris Italiae maritimis ac
 portibus nostris, sed etiam Appia iam via care-
 bamus. Et iis temporibus non pudebat magistratus
 populi Romani in hunc ipsum locum descendere, 30
 cum eum nobis maiores nostri exuviis nauticis et
 classium spoliis ornatum reliquissent!

Bono te animo tum, Q. Hortensi, populus 19
 Romanus et ceteros, qui erant in eadem sententia, 56
 dicere existimavit ea, quae sentiebatis, sed tamen
 in salute communi idem populus Romanus dolori
 5 suo maluit quam auctoritati vestrae obtemperare.
 Itaque una lex, unus vir, unus annus non modo
 nos illa miseria ac turpitudine liberavit, sed etiam
 effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gen-
 tibus ac nationibus terra marique imperare. Quo 57
 10 mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse ad-
 huc, Gabinio dicam ane Pompeio an utrique, id
 quod est verius, ne legaretur A. Gabinus Cn. Pom-
 peio expetenti ac postulanti. Utrum ille, qui po-
 stulat ad tantum bellum legatum, quem velit, ido-
 15 neus non est, qui impetret, cum ceteri ad expilan-
 dos socios diripiendasque provincias quos voluerunt
 legatos eduxerint, an ipse, cuius lege salus ac dig-
 nitas populo Romano atque omnibus gentibus con-
 stituta est, expers esse debet gloriae eius impera-
 20 toris atque eius exercitus, qui consilio ipsius ac
 periculo est constitutus? An C. Falcidius, Q. Me- 58
 tellus, Q. Caelius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos
 omnes honoris causa nomino, cum tribuni plebi
 fuissent, anno proximo legati esse potuerunt; in
 25 uno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello,
 quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque
 exercitu, quem per vos ipse constituit, etiam prae-
 cipuo iure esse deberet? De quo legando consules
 30 spero ad senatum relatueros; qui si dubitabunt aut
 me impediet cuiusquam inimicum edictum, quo

minus vobis fretus vestrum ius beneficiumque defendam, neque praeter intercessionem quicquam audiam, de qua, ut arbitror, isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius belli maritimi rerumque gestarum Cn. Pompeio socius adscribitur, propterea quod alter uni illud bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum susceptumque confecit.

²⁰ Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et ¹⁰ ⁵⁹ sententia dicendum esse videatur. Qui cum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in eo ipso ¹⁵ vos spem habituros esse dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere et integritate tueri et virtute conficere possit. Sed in hoc ipso ab eo vehementissime dissentio, quod, quo minus certa ²⁰ est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis res publica, dum per deos immortales licet, frui ⁶⁰ debet summi viri vita atque virtute. At enim ne quid novi fiat contra exempla atque instituta maiorum. Non dicam hoc loco maiores nostros ²⁵ semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse, semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodasse, non dicam duo bella maxima, Punicum atque Hispaniense, ab uno imperatore esse confecta duasque urbes potentis- ³⁰ simas, quae huic imperio maxime minitabantur,

Carthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas; non commemorabo nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario spes imperii poneretur, ut idem cum Iugurtha, ⁵ idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret; in ipso Cn. Pompeio, in quo novi constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova summa Q. Catuli voluntate constituta, recordamini.

¹⁰ Quid tam novum quam adolescentulum pri- ²¹ ⁶¹ vatam exercitum difficili rei publicae tempore conficere? confecit; huic praeesse? praefuit; rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam praeter consuetudinem quam homini peradulescenti, cuius ¹⁵ aetas a senatorio gradu longe abesset, imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti atque Africam bellumque in ea provincia administrandum? Fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute; bellum in Africa maximum confecit, ²⁰ victorem exercitum deportavit. Quid vero tam inauditum quam equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem populus Romanus non modo vidit, sed omnium etiam studio visendam et con- celebrandam putavit. Quid tam inusitatum quam ²⁵ ut, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur? missus est. Quo quidem tempore cum esset non nemo in senatu, qui diceret non oportere mitti hominem ³⁰ privatam pro consule, L. Philippus dixisse dicitur non se illum sua sententia pro consule, sed pro

consulibus mittere. Tanta in eo rei publicae bene gerendae spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adulescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare quam ut ex senatus consulto legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset? quid tam incredibile quam ut iterum eques Romanus ex senatus consulto triumpharet? Quae in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt quam haec, quae in hoc uno homine videmus. Atque haec tot exempla tanta ac tam nova profecta sunt in eundem hominem a Q. Catuli atque a ceterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

22 Quare videant, ne sit periniquum et non ferendum illorum auctoritatem de Cn. Pompei dignitate a vobis comprobata semper esse, vestrum ab illis de eodem homine iudicium populique Romani auctoritatem improbari, praesertim cum iam suo iure populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiunt, possit defendere, propterea quod isdem istis reclamantibus vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello praedonum praeponeretis. Hoc si vos temere fecistis et rei publicae parum consulistis, recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur; sin autem vos plus tum in re publica vidistis, vos iis repugnantibus per vosmet ipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis, aliquando isti principes et sibi et ceteris

populi Romani universi auctoritati parendum esse fateantur.

Atque in hoc bello Asiatico et regio non solum militaris illa virtus, quae est in Cn. Pompeio singularis, sed aliae quoque virtutes animi magnae et multae requiruntur. Difficile est in Asia, Cilicia, Syria regnisque interiorum nationum ita versari nostrum imperatorem, ut nihil aliud nisi de hoste ac de laude cogitet. Deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exterarum nationes propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, libidines et iniurias. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? Urbes iam locupletes et copiosae requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter haec coram cum Q. Catulo et Hortensio, summis et clarissimis viris, disputarem; noverunt enim sociorum vulnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis an hostium simulatione contra socios atque amicos? Quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

30 Quare etiam si quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur,

tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum⁵ regiumque mittatur. Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam esse locupletem, quae istis pacata esse videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi¹⁰ continentiam requisivit. Videbat enim praetores locupletari quotannis pecunia publica praeter paucos, neque nos quicquam aliud adsequi classium nomine, nisi ut detrimentis accipiendis maiore adfici turpitudine videremur. Nunc qua cupiditate¹⁵ homines in provincias et quibus iacturis, quibus condicionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda omnia esse non arbitrantur; quasi vero Cn. Pompeium non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse vide-²⁰amus. Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter tot annos unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant.

Quodsi auctoritatibus hanc causam, Quirites,²⁵ confirmandam putatis, est vobis auctor vir bellorum omnium maximarumque rerum peritissimus, P. Servilius, cuius tantae res gestae terra marique exstiterunt, ut cum de bello deliberetis, auctor vobis gravior nemo esse debeat; est C. Curio,³⁰ summis vestris beneficiis maximisque rebus gestis,

summo ingenio et prudentia praeditus; est Cn. Lentulus, in quo omnes pro amplissimis vestris honoribus summum consilium, summam gravitatem esse cognovistis; est C. Cassius, integritate, virtute,⁵ constantia singulari. Quare videte, horumne auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

Quae cum ita sint, C. Manili, primum istam²⁴ tuam et legem et voluntatem et sententiam laudo⁶⁹ vehementissimeque comprobo; deinde te hortor, ut auctore populo Romano maneat in sententia neve cuiusquam vim aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi perseverantiaeque arbitror; deinde cum tantam multitudinem cum tanto studio¹⁵ adesse videamus, quantam iterum nunc in eodem homine praeficiendo videmus, quid est quod aut de re aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid est in me studii, consilii, laboris, ingenii, quidquid hoc beneficio populi Romani²⁰ atque hac potestate praetoria, quidquid auctori-⁷⁰tate, fide, constantia possum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi et populo Romano polliceor ac defero testorque omnes deos et eos maxime, qui huic loco temploque praesident, qui omnium²⁵ mentes eorum, qui ad rem publicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cuiusquam, neque quo Cn. Pompei gratiam mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi ex cuiusquam amplitudine aut praesidia periculis³⁰ aut adiumenta honoribus quaeram, propterea quod pericula facile, ut hominem praestare oportet, inno-

centia tecti repellemus, honorem autem neque ab uno neque ex hoc loco, sed eadem illa nostra laboriosissima ratione vitae, si vestra voluntas feret, consequemur. Quam ob rem, quidquid in hac causa mihi susceptum est, Quirites, id ego omne me rei publicae causa suscepisse confirmo, tantumque abest, ut aliquam mihi bonam gratiam quaesisse videar, ut multas me etiam simultates partim obscuras partim apertas intellegam mihi non necessarias, vobis non inutiles suscepisse. Sed ego me hoc honore praeditum, tantis vestris beneficiis adfectum statui, Quirites, vestram voluntatem et rei publicae dignitatem et salutem provinciarum atque sociorum meis omnibus commodis et rationibus praeferre oportere.

15

INDEX NOMINUM.

Achaia §. 35, h. e. Peloponnesus.

M. Acilius Glabrio §. 26, ¹⁾ consul a. 67, cum L. Lucullus, quem pars exercitus reliquerat, a bello avocatus esset, in Bithyniam provinciam missus est. Sed Glabrio ea erat inertia atque socordia, ut Mithridatem aggredi non auderet, quod non satis paratus esset ad tantum bellum gerendum. Itaque e provinciae finibus non excessit. Quae cum ita essent, amici Pompei facili negotio effecturos se sperabant, ut illi imperium belli Mithridatici mandaretur. Ciceronis de Glabrione iudicium paulo lenius est.

¹⁾ idem significatur §. 5 huic qui successerit, non satis esse paratum, §. 26 novus imperator.

Aegaeum mare §. 55, pars maris interni intra Graeciam et Asiam minorem.

Aetoli §. 14, incolae Aetoliae, quae Graeciae regio inter Acarnaniam, Epirum, Locrisita est. Aetoli post mortem Alexandri Magni foedus Aetolicum inierant. a. 191 Antiochum Magnum, Syriae regem, ad bellum Romanis inferendum excitaverunt et una cum Antiocho aliquot Graeciae urbes foedere Romanis coniunctas aggressi sunt. Quos subegit M. Fulvius Nobilior consul a. 189.

Africa §. 30, 34, 61, h. e. Africa provincia a. 146 deleta Carthagine Romanae dicionis facta, quidquid quondam Carthaginiensium fuerat, complectebatur; a. 46 demum post pugnam ad Thapsum commissam accessit altera provincia Numidia.

- Africanum bellum** §. 28, est illud bellum, quo Cn. Pompeius, a L. Sulla in Africam missus, Marianarum partium reliquias, quibus praefuerunt Cn. Domitius Ahenobarbus, Cinnae gener, et Hiarbas, Numidiae rex, oppressit ad Uticam a. 81.
- Amīsus** §. 21, urbs Ponti in ora Ponti Euxini sita.
- Antiōchus Magnus** §. 14, 55, Syriae rex, adversus quem bellum susceperunt Romani, tamquam iniurias et Eumēni, Pergami regi, et Rhodiis sociis illatas ulciscentes a. 192. Antiochus ab Aetōlis in Graeciam vocatus ad Thermopylas victus est a Romanis a. 191 duce M. Acilio Glabrione consule, iterum a. 190 in Asia apud Magnesiam ad Sipylum a L. Cornelio Scipione, Africani maioris fratre. Eodem bello classis Antiochi compluribus proeliis, veluti ad Myonnēsum, Ioniae promunturium, victa est a Romanis (§. 55). Pax data regi est a. 189 ea condicione, ut omnibus citra Taurum montem provinciis cederet.
- Appia via** §. 55, via celeberrima, 'regina viarum', ab Appio Claudio Caeco cen-
- sore a. 312 munita ab Roma a porta Capēna per paludes Pomptinas ad Tarracinam, inde Capuam, Capua Brundisium ferebat.
- Ariobarzānes** §. 5, 12, senatus iussu Cappadociae rex factus est a L. Sulla; regno expulsus a Tigrāne, Armeniae rege, a. 92, a Mithridate a. 88, 67, restitutus est a Romanis a. 90, 84, 65.
- Asia** §. 4, 7, 12, 18, passim idem quod Asia minor.
- Asiaticae pecuniae** §. 19, scilicet publicanorum, ubi v.
- Asiaticum bellum** §. 19, 64, quod cum Mithridate gesserunt Romani a. 88—84, (bellum Mithridaticum primum).
- Athenienses** §. 54, imperium maritimum tenuerant per septuaginta fere annos ab a. 477 ad a. 405. Ἀθηναῖοι αὐτῆς μόνον ἤρξαν τῆς παραλίον καὶ οὐδὲ ταύτης ἀπάσης, ἀλλὰ τῆς ἐντὸς Ἐξείνου τε πόντου καὶ τοῦ Παμφυλίου πελάγους, ὅτε μέλιστα ἔθαλασσοκράτουv. Dionysi Antiquitatt. Roman. I. 3.
- Bellum maximum** §. 28 est bellum Marsicum, ubi vide; §. 62 est Sertorianum bellum, ubi v.

- Bithynia** §. 5, regio Asiae minoris ad oram Ponti Euxini et Propontidis sita, in provinciae formam redacta est, postquam Nicomēdes III, Bithyniae rex, moriens populum Romanum fecit heredem a. 74.
- Bosporani** sive **Bosporani** §. 9, incolae Bospori, quod erat regnum ad freti Cimmerii oras et in Asia et in Chersoneso Taurica situm.
- Brundisium** §. 32, Calabriae orientalis oppidum portu nobili, unde traiectus fuit in Graeciam et in orientem, hodie *Brindisi*.
- Q. Caecilius Metellus** §. 58, quis fuerit, non constat.
- Caīēta** §. 33, Latii urbs in confinio Campaniae ad oram maritimam sita, hodie *Gaēta*.
- Calamitas** §. 25, 45 est C. Valeri Triarii, legati L. Luculli, clades ad Zēlam in Ponto accepta a. 67; septem milia ibi Romanorum occisi sunt, centuriones CL, tribuni militum XXIV.
- Cappadocia** §. 7, 21, Asiae regio, a Cilicia septentrionem versus sita.
- Carthaginenses** §. 54.
- Carthago** §. 60, nobilis illa Africae urbs, aemula imperii Romani, deleta a P. Cornelio Scipione Africano minore a. 146.
- C. Cassius Longinus Varus** §. 68, consul a. 73, pugnavit a. 72 adversus Spartacum, fugitivorum ducem, a quo victus est; a. 66 legem Maniliam suasit.
- Catulus v. Lutatius Catulus. Chalcēdon** (Καλχηδών s. Χαλχηδών), Bithyniae urbs ad Propontidis oram meridionalem sita e regione Byzantii.
- Cilicia** §. 35, 64, regio Asiae infra Taurum montem ad mare internum sita, praecipua piratarum sedes.
- Cimbri** §. 60, Germaniae gens, complures exercitus Romanos maximos fuderunt, veluti ad Noreiam a. 113 in Norico et ad Arausionem a. 105 in Gallia, ita ut de imperio iam et de libertate timerent Romani. Sed illi magna Galliae parte vastata per saltum in Hispaniam transgressi ibique multa loca populati a Celtiberis fugati sunt. Tum reversi in Galliam cum Teutōnis, item Germanica (?) gente, se coniunxerunt. Sed Marius, cui interea propter metum Cimbrici belli continuatus per com-

plures annos est consulatus ab a. 104, quamvis obstaret vetus illud plebiscitum '*ne quis eundem magistratum intra X annos caperet*', ad Aquas Sextias primum Teutōnos a. 102, deinde anno post una cum Q. Lutatio Catuli proconsulis exercitu Cimbro ad Vercellas vicit et ad internecionem delevit.

Civile bellum §. 28, est bellum illud, quo L. Sulla bello Mithridatico primo confecto (a. 87—84) in Italiam reversus Marianos fregit a. 83—82. Cui ex Graecia redeunti Cn. Pompeius adulescens coacto privatis opibus voluntariorum exercitu auxilio venit et adversus Cn. Papirium Carbonem et Marium minorem magna cum gloria pugnavit. A Sulla in Siciliam missus ad reliquias partium Marianarum opprimendas Pompeius totam insulam sine ulla fere dimicatione brevi recepit, Cn. Carbonem consularem captum cum contumelia interfecit. De rebus a Pomp. in Africa gestis vide Africanum bellum. — a. 78 cum M. Aemilius Lepidus consul Sullae mortui acta conaretur rescindere, denuo bellum civile exarsit. Tum

Q. Lutatio Catulo consuli additus est cum imperio extraordinario Cn. Pompeius. Lepidus ad Cosam in Etruria victus a. 77 Italia pulsus et in Sardinia frustra bellum molitus periit.

M. Claudius Marcellus §. 47, summus imperator, consul a. 222 Virdomaro, Insubrium duce, occiso spolia opima legit; bello Punico secundo ad Nolam vicit Hannibalem a. 215 et animos Romanorum tot cladibus gravissimis adflictos primus erexit, postea etiam aliquotiens cum Hannibale prospero eventu pugnavit; '*gladius Romanorum*' dictus est. a. 212 Syracūsas cepit, a. 208 quintum consul apud Venusiam insidiis circumventus ab Hannibale fortiter pugnans cecidit corpusque eius Hannibal sepeliendum curavit.

Cnidus §. 33, urbs Cariae.

Colōphon §. 33, urbs Ioniae nobilis.

Consul populi romani §. 33, cuius nomen tum sine dubio noverant omnes, ignotus nobis est; siletur nomen a Cicero ad leniendam rei, quam commemorat, turpitudinem.

Corinthus §. 11, urbs Achaiae ad Isthmum sita, quam Grae-

cus quidam poeta *ἄστρον ὄχι ἄστρον Ἑλλάδος* dixit '*Graeciae lumen*'. belli Achaici semina referuntur haec, quod legati Romani pulsati sint Corinthi Liv. periocha libri 51, et per. lib. 52: 'L. Mummius omni Achaia in deditionem accepta Corinthum ex senatus consulto diruit (a. 146), quia ibi legati Romani violati erant' — Cicero, cum l. c. dicit *appellatos* tantum modo Corinthi *superbius* esse 'etwas übermüthig angelassen' legatos Romanos, leniorem famam secutus est, sed fortasse rem consulto extenuat, quo gravius Romani illis quidem temporibus vel minimam legatorum iniuriam uli esse videntur. — ceterum cf. quae Cicero hac de re dicit *de off.* I. 35 '*maiores nostri Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt, nollem Corinthum, sed credo, aliquid secutos, opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari*'.

Cn. Cornelius Lentulus §. 58, tribunus plebis et anno proximo legatus, homo ignotus.

Cn. Cornelius Lentulus §. 68,

consul a. 72, censor severissimus a. 70 cum L. Gellio octavam partem senatorum senatu movit; legatus Pompei a. 67 in bello adversus praedones gesto; a. 66 legis Maniliae suator.

P. Cornelius Scipio Aemilianus Africanus minor Numantinus §. 47, 60, L. Aemili Pauli Macedonici filius, adoptatus a P. Cornelio Scipione, Africani maioris filio, natus a. 185, iam adulescens a. 168 patre duce ad Pydnam fortiter pugnavit; a. 147 cum aedilitatem peteret, quamvis ei per aetatem nondum liceret consulem fieri, tamen a populo legibus solutus et consul creatus est; Africam provinciam nactus Carthaginem a. 146 expugnavit delevitque. a. 134 cum bellum Numantinum ducum vitio cum ignominia populi Romani gereretur, Scipio, cum vetaret lex c. a. 150 lata quemquam *iterum consulem fieri*, tamen ut in priore consulatu legibus solutus et consul factus est. Qui corruptum licentia exercitum Romanum ad severam disciplinam revocavit et Numantiam post XV men-

sium obsidionem cepit diruitque a. 133 (*Numantinus*¹). Cuius ad bellicam laudem doctrinae etiam conformatio accessit; fuit enim Graecis litteris eruditus et sapientiae ut Laelius familiaris studiosissimus. a. 129 domi suae, incertum a quo, confossus est.

L. Cornelius Sulla Felix §. 8, 30, Mari quaestor bello Iugurthino a. 107, eiusdem legatus bello Cimbrico a. 104—101, magna cum gloria pugnavit bello Marsico a. 90—89, quo ille 'rem populi Romani iam procumbentem restituit'; eidem consuli a. 88 imperium belli Mithridatici mandatam est. Quod cum Mario auctore adversarii ei abrogassent, Romam occupavit, adversariorum factionem urbe expulit, Mariam in Africam profugere coegit. Bellum Mithridaticum confecit a. 87—84, triumphum egit splendidissimum triennio post. In Italiam reversus Marianos fregit, Romam cepit, in adversarios victos crudelibus illis proscriptionibus saevit;

¹) §. 60. *duo bella maxima ab uno imperatore esse confecta.*

dictator perpetuus a. 82—79 rem publicam legibus Cornelii constituit ita, ut omnis potentia esset penes optimates tribunicia imprimis potestate valde immunita. Legionibus suis in multis Italia partibus agros divisit adversariis ademptos; mortuus est a. 78.

Cretenses §. 35, 46, incolae Cretae insulae, subacti a Q. Caecilio Metello Cretico a. 68—66; a quo cum asperius tractarentur, ad Cn. Pompeium, cui lege Gabinia a. 67 summum imperium totius maris mediterranei mandatum erat, miserunt, qui huic potius, de cuius mansuetudine audiverant, tum ipsum in Asia adversus praedones bellum gerenti urbium suarum deditiones offerrent. Sed legatum, quem in Cretam misit Pompeius ad accipiendas urbium deditiones, nihil curavit Metellus atque eo acrius instabat.

C. Curio v. C. Scribonius Curio. Cyzioceni §. 20, Cyziaci incolae, Asiae urbis nobilissimae ad Propontidem sitae.

Dēlos §. 55, insula maris Aegaei, ubi Apollinis fanum erat celeberrimum. *Δήλον* ἔτι μᾶλλον ἠέξησε

κατασκαφεῖσα ὑπὸ Ῥωμαίων Κόρινθος. ἐκεῖσε γὰρ μετεχώρησαν οἱ ἔμποροι, καὶ τῆς ἀτελείας τοῦ ἱεροῦ προκαλουμένης αὐτοὺς καὶ τῆς ἐνκαίριας τοῦ λιμένος. ἐν καλῷ γὰρ κῆται τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν Ἀσίαν πλέουσιν. (Strabo).

duo consules §. 62, anni 77 D. Iunius Brutus et Mam. Aemilius Lepidus, cum bellum Sertorianum sive propter segnitiam sive propter minorem belli usum recusarent, senatus Cn. Pompeium cum imperio proconsulari adversus Sertorium misit; quos cum Cicero '*clarissimos fortissimosque consules*' appellat l. c., id haud dubie agit, ut Cn. Pompei gloriam augeat atque amplifcet; ceterum v. **L. Marcius Philippus**.

duodecim secures §. 32, per metonymiam dictum pro 'duo praetores'; in provinciis enim praetoribus seni lictores erant, in urbe illo quidem tempore bini. Plutarchus in Pompei vita haec narrat c. 24 *ἤρπασαν* (sc. *οἱ λησταὶ*) *δέ ποτε καὶ στρατηγούς* (h. e. praetores) *δύο Σετίλιον καὶ Βελλίον ἐν*

ταῖς περιπορεύοις (toga praetexta) *καὶ τοὺς ἑαβδοφόρους* (lictiores) *ᾄχοντο σὺν αὐτοῖς ἐκείνοις ἔχοντες.*

eius ipsius liberos §. 33, scil.

M. Antoni, oratoris nobilissimi, qui pro consule a. 103 cum praedonibus pugnavit, triumphavit a. 102; ceterum cf. Plutarchi Pomp. 24, *ἦλω δὲ καὶ θυγάτηρ Ἀντωνίου, θριαμβικὸν ἀνδρός* (h. e. triumphalis viri) *εἰς ἀγρόν βαδίζουσα καὶ πολλῶν χορημάτων ἀπειλοτρόφῃ.* Plurali igitur numero '*liberos*' rhetorice uti videtur Cicero¹).

equites Romani §. 4, v. **publicani**.

Q. Fabius Maximus Verrucōsus Cunctator §. 47, primum consul a. 233 Ligures vicit, bello Punico secundo a. 217, cum res Romana gravissimis cladibus esset adfecta, dictator Hannibalis impetum cunctando aliquandiu elusit atque repressit;

¹) Similiter *pro Sex. Roscio Amerino* §. 96 *domus, uxor liberi*, cum unum filium Sex. Roscius reliquerit. Sed legimus apud Gellium: 'Antiqui oratores historiaeque aut carminum scriptores etiam unum filium filiamve '*liberos*' multitudinis numero appellarunt.'

de quo praeclare Ennius in *Annalibus*: 'Unus homo nobis cunctando restituit rem'. Post cladem Cannensem civium animos consiliis sapientissimis erexit; cos. a. 215 et 214 eadem qua antea ratione bellum gessit adversus Hannibalem, Campaniae et Italiae inferioris oppida aliquot, quae defecerant, recepit, a. 209 quintum consul Tarentum expugnavit et ingenti praeda potitus est. mortuus est a. 203.

C. Falcidius §. 58, tribunus plebis et anno proximo legatus, homo ignotus.

Gabinia lex §. 54, 58, ab A. Gabinio tribuno pl. lata, v. **A. Gabinius**.

A. Gabinius §. 52, 57, 58, tribunus plebis a. 67 legem pertulit, ut Cn. Pompeio imperium totius orae maritimae ad bellum contra praedones Cilicas gerendum mandaretur. Qui ne legaretur Cn. Pompeio imperatori, lex *Licinia Aebutia* obstabat, quae non modo eum, qui tulisset de aliqua rogatione ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines exceptit, ne eis potestas curatiove — huc legatio

etiam pertinebat — mandaretur (§. 57, 58). Tamen Gabinius legatus fuit Pompei bello Mithridatico. Idem cos. a. 58 Ciceronis inimicus fuit, P. Clodi consilia summo opere adiuvit, a. 57—55 Syriam provinciam taeterime vexavit, unde reversus repetundarum damnatus in exsilium abiit.

Gallia §. 30, h. e. transalpina. Pompeius cum ad bellum Sertorianum proficisceretur, Alpibus novo itinere circa Rhodani et Padi fontes superatis, gentes quasdam Galliae superavit, quae a Sertorio incitatae transitu eum prohibere conatae sunt. Qua de re Pompeius non sine magniloquentia haec scripsit ad senatum: 'Hostes in cervicibus iam Italiae agentis ab Alpibus in Hispaniam submovi; per eas iter aliud atque Hannibal nobis opportunius patefecit, recepi Galliam, Pyrenaeum¹ cet.

Gallia §. 35, est ora provinciae Narbonensis¹) et Liguria, quam praesidiis firmavit Pompeius, antequam ad bel-

¹) Gallia Narbonensis a. 122 a Romanis in provinciae formam redacta est.

lum adversus praedones gerendum proficisceretur.

Galli §. 30.

M'. Glabrio v. M'. Acilius Glabrio.

Graeca oppida §. 40.

Graecia §. 11, 12, 35.

Hispania §. 9, 30, 46, Ibero flumine dividitur in citeriorem sive Tarraconensem et ulteriorem sive Baeticam, inde §. 35 'duabus Hispaniis'. Ibi Cn. Pompeius ab a. 77 adversus Q. Sertorium pugnavit una cum Q. Caecilio Metello Pio iam a. 79 ad bellum Sertorianum misso. Cum autem Mithridates legatum in Hispaniam misisset ad Cn. Pompeium, molestum id Q. Metello fuisse videtur ('ii, quibus erat molestum' §. 46); v. **Sertorianum bellum**.

Hispaniense bellum §. 28 v. **bellum Sertorianum**; §. 60 v. **Numantia**.

Hispaniensis pars §. 10, v. **Sertorianum bellum**.

Q. Hortensius, §. 51, 52, 56, 66, natus a. 114, optimatum fautor, oratorum Romanorum omnium ante Ciceronem facile princeps, cum ingenio excellens, tum memoria imprimis rerum

verborumque insignis; consul. a. 69; una cum Cicerone, aemulo, qui postea gloriae Hortensi obscuritatem attulit, defendit L. Murenam a. 63, P. Sullam a. 62, P. Sestium a. 56, alios; contra patronus fuit C. Verris repetundarum rei a. 70, quem accusavit Cicero, a. 66 legem Manilianam, cui tota fere nobilitas adversabatur, idem dissuasit; mortuus est a. 50. **huic qui successit** §. 5, v. **M'. Acilius Glabrio**.

Illyricum mare §. 35, Hadriatici maris pars illa, quae est Illyriae orae finitima **insignia victoriae** §. 8, h. e. triumphus, ubi v.

Italia §. 8, 35, 'Italiae duo maria' 35 sunt mare Etruscum sive inferum (cum sinu Ligustico) et mare Hadriaticum sive superum.

Iugurtha §. 60, a Micipsa, Numidiae rege, adoptatus Hiempsale et Adherbale, Micipsae filii, occisis totius Numidiae, cuius partem ei Micipsa reliquerat, regno potitus est. Cui bellum intulerunt Romani a. 111. Qui cum aliquamdiu male rem gessissent, a. 109 Q. Metellus consul in Numi-

et in altercando cum aliquo aculeo facetus. Is, cum a. 77 Cn. Pompeius privatus pro consule mitteretur ad bellum Sertorianum, quia consules illius anni recusabant¹⁾, consules illos ὄς οὐδενὸς ἀξιόους ὄντας (Plutarchi Pomp. 17) salse perstrinxit dicens, Pompeium non pro consule, sed pro consulibus mitti. Quod facete dictum Cicero l. c. scite in laudem vertit Pompei.

maritimum bellum §. 13, quod etiam *navale* bellum dicitur §. 28, est bellum a. 67 adversus praedones gestum, cuius imperium lege Gabinia traditum est Cn. Pompeio.

C. Marius §. 47, 60, Arpini humili loco natus a. 155, acerrimus partium popularium propugnator, consul a. 107 Q. Metello Numidico successit in imperio belli Jugurthini, quod confecit a. 105 (v. *Jugurtha*). Eidem, cum Cimbri aliquot exercitus Romanos fudissent, ita ut de imperio iam ac de libertate timerent Romani, continuatus per quattuor annos (ab a. 104) est consulatus; Teutōnos delevit

¹⁾ v. indicem, s. v. *duo consules*.

a. 102 ad Aquas Sextias, Cimbros in Campis Raudiis ad Vercellas a. 101. Quo facto Marius pro duobus triumphis, qui ei offerebantur, uno contentus fuit, ac tum quidem primores civitatis, qui ei aliquamdiu ut homini novo ad tantos honores evecto inviderant, conservatam ab eo patriam fatebantur. — a. 88 a Sulla urbe pulsus varios casus expertus in Africam profugit; unde rediit a. 87, cum Cinna consule se coniunxit, Romam captam caedibus ac rapinis vastavit; mortuus est a. 86 septimum consul.

Marsicum bellum sive bellum sociale a. 91—89 gestum, quo universa Italia arma cepit adversus Romanos. Itolorum causa iustissima fuit, cum, qui imperium Romanum armis tuerentur, civitatem ipsi peterent Romanam. Varia atque atrox fuit belli fortuna et multis locis Romani exercitus fusi sunt. Deinde paulatim recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant aut deposuerant maturius,¹⁾ vires Ro-

¹⁾ lege *Julia* a. 90; secuta est a. 89 lex *Plautia Papiria*,

manorum refectae sunt. Imprimis Cn. Pompeius Strabo, Cn. Pompei Magni pater, et L. Cornelius Sulla rem Romanam labantem procumbentemque restituerunt.

Maximus v. Q. Fabius Maximus Verrucosus Cunctator.

Medēa §. 22, Aeëtae, Colchorum regis, filia cum Iasōne ex Colchide¹⁾ fugiens Absyrtum fratrem necavit, membraque eius dissecta proiecit, ut pater Aeëtes, qui fugientem persequeretur, membris colligendis distineretur; l. c. Cicero ante oculos habuisse videtur hos antiqui cuiusdam poetae versus:²⁾

pérque agros passim
dispergit corpūs: id ea
grátia,

út, dum nati díssu-
patos ártus captarét
parens,

ípsa ínterea effúgeret,
illum ut máeror tardarét
sequi.

qua omnibus Italicis, qui foederatis civitatibus adscripti fuissent, civitas data est.

¹⁾ l. c. dicit Cicero *ex eodem Pontó*, non satis accurate, sed Colchis ad regnum Mithridatis pertinebat.

²⁾ versus fortasse sumpti sunt ex Acci Medēa; L. Accius, nobilis poeta tragicus a. 170—104.

Q. Metellus v. Q. Caecilius Metellus.

Misēnum §. 33, promunturium et urbs Campaniae ad sinum Cumanum sita, ibi villa erat M. Antoni oratoris, cuius filia capta est a piratis; vide indicem s. v. eius ipsius liberos.

Mithridātes VI Eupātor §. 4, 9, 19, passim, rex Ponti a. 120—63, magna vi et animi et corporis, rex post Alexandrum maximus, Bithynia et Cappadocia occupatis bellum, quod diu paraverat, intulit Romanis a. 89. Victo Aquilio legato, deinde Appio proconsule totam Asiam occupavit et, quidquid civium Romanorum in Asia erat — fuerunt autem octoginta milia — uno die trucidari iussit¹⁾; ad Graeciam occupandam exercitus misit Archelāo duce; quem cum Sulla bello Mithridatico primo gravibus proeliis fudisset, pacem facere Mithr. coactus est a. 84. — Secundo bello Mithridatico a. 83—81 L. Murena, cui Sulla in Italiam rediens

¹⁾ §. 7 *ab illo tempore annum iam tertium et vicissimum regnat*, scil. ab a. 89 ad a. 66.

diam missus est, qui duobus proeliis Iugurtham vicit. Sed confectum bellum est a. C. Mario, qui consul a. 107 Metello in imperio successit. Huic a Boccho socero, Mauretaniae rege, a. 106 traditus est Iugurtha. Qui postea cum duobus filiis in triumpho ductus et in carcere necatus est.

legatus populi Romani consularis §. 11, est M'. Aquilius, consul a. 101 (cum C. Mario), avaritia infamis. Is a. 90 legatus ad Mithridatem missus Nicomēden, Bithyniae regem, impulit, ut Mithridati bellum inferret. A quo victus a. 88 cum fugiens Lesbum venisset, a Mitylenaeis Mithridati traditus est. Qui eum manibus post tergum religatis asino impositum per ludibrium tota Asia circumduci iussit, denique auro liquefacto ad avaritiam satiandam in os infuso interfecit a. 88.

legibus solutus §. 62, scil. legibus *Villia annali* et *Cornelia*, vide **Cn. Pompeius Magnus**.

Cn. Lentulus v. Cn. Cornelius Lentulus.

L. Licinius Lucullus Ponticus §. 5, 10, 21, 23, 26, vir

fortissimus et ingeniosissimus, summus imperator, iam bello Marsico a. 90—88 Sulla duce stipendia meruerat; bello Mithridatico primo 87—84 Sullam in Graeciam secutus pro quaestore adversus Mithridatem fortissime pugnavit; aedilis a. 79 ludos edidit splendidissimos. De rebus a Lucullo bello Mithridatico tertio gestis vide argumentum orationis de imperio Cn. Pompei. — Seditioe militum, qui sequi eum longius noluerunt impleta a se stipendia dicentes, ne conficeret bellum, impeditus est. Itaque Lucullus exercitum in hiberna deducere coactus est in Mesopotamiam. Sed cum Mithridates legionum Romanarum intemperantia atque licentia callide usus irruptione in Pontum facta Valerium Triarium, Luculli legatum, ad Zelam gravi proelio devicisset¹⁾, cum adversariorum contentione²⁾, tum

¹⁾ huc spectat Cicero §. 10 *'haec extrema, quae nuper acciderunt'*, §. 25, 45 *'calamitas nostra'*.

²⁾ haec sola erat causa, non *'quod imperii diuturnitati modum statuendum'* (§. 26) putavit populus.

Cn. Pompei, qui rerum ab aliis gestarum fructus praecipere solebat, Lucullus ab imperio revocatus lege Gabinia Romam rediit, triumphavit sero triennio ab adversariis extracto a. 63. Reliquam aetatem Romae, cum divitiae ei essent ingentes, ita vixit, ut magnificentia eius atque luxuria in proverbii consuetudinem abierit; idem cum omni litterarum generi, tum philosophiae deditus fuit, historiam belli Marsici Graece scripsit.

L. Licinius Murena §. 8, L. Sullae legatus bello Mithridatico primo adversus Archeläum, Mithridatis ducem, in Graecia fortiter pugnavit ad Chaeronēam a. 86. Relictus pro praetore a Sulla a. 83 ad Asiam administrandam nulla idonea causa ultro bellum Mithridati intulit, et quamquam proelio victus est (h. e. bellum Mithridaticum secundum) Murena aut certe dubio eventu pugnavit (v. Mithridates), imperatorem tamen se dixit et triumphavit a. 81. De Murena lenius haud dubie quam verius indicat Cicero, cum

laudem eius bellicam cum Sullae laude plane componit l. c. *'duo fortissimi viri et summi imperatores'*.

L. Lucullus v. L. Licinius Lucullus.

Q. Lutatius Catulus §. 51, 59, 63, 66, Q. Catuli, qui una cum C. Mario Cimbros ad Vercellas deleverat a. 101, filius, vir singulari sapientia atque vitae integritate, cos. a. 78 M. Aemilium Lepidum collegam, qui Sullae acta rescindere conabatur, vicit et Italia expulit, v. *civile bellum*. a. 66 una cum Q. Hortensio acerrimus erat legis Maniliae adversarius; censor a. 65, per multos annos princeps optimatum.

macula Mithridatico bello superiore concepta §. 7, h. e. trucidatio illa civium Romanorum a. 88.

C. Manilius §. 69, tribunus plebis a. 66 adversa optimatum voluntate legem tulit ad populum, ut Cn. Pompeio imperium belli Mithridatici mandaretur, quam legem suasit Cicero praetor creatus.

Marcellus v. M. Claudius Marcellus.

L. Marcus Philippus §. 62, consul a. 91, homo disertus

Asiam administrandam reliquerat, male rem gessit adversus Mithridaten, quem nulla idonea causa adortus est; sed Sulla intercedente Mithr. ab armis discessit. — a. 74 foedere icto cum Q. Sertorio, postea etiam cum Tigrane, Armeniae rege, coniunctus tertium bellum movit, M. Aurelium Cottam consulem, L. Luculli collegam, terra marique ad Chalcēdōna vicit; de bello Mithr. tertio v. argum. orat. et indicem s. vv. M. Acilius Glabrio, L. Licinius Lucullus, Cn. Pompeius. — a. 66 Mithridātes nocturno proelio a Pompeio devictus ad Nicopolin in Chersonēsum Tauricam fugere coactus est. Ubi a militibus derelictus, a Pharnāce filio petitus et in ipsa regia obsessus cum veneno sumpto parum profecisset, a milite Gallo impetravit, ut se gladio interficeret a. 63.

Mithridaticum bellum superius §. 7, est bellum Mithridaticum primum a. 89—84 gestum; belli illius levioris a L. Murena gesti a. 83—81 h. l. a Cicerone nulla ratio habetur.

L. Murena v. L. Licinius Murena.

noster imperator §. 46, est Q. Caecilius Metellus Creticus, consul a. 69, qui a. 68—66 Cretam insulam subiecit, v. **Cretenses**.

novus imperator §. 26, est M. Acilius Glabrio, ubi v.

Numantia §. 60, urbs Hispaniae Tarraconensis natura munitissima, Romanis infesta. Quam cum permultos annos frustra obsedissent duces Romani, Africanus minor cepit diruitque a. 133 post quindecim mensium oppugnationem (*Numantinus*).

Oceanus §. 33; *Oceani ostium* l. c. appellatur fretum Gaditanum, 'qua primum maris interni limen aperitur'; oppositum est 'ostio Tiberino' §. 33.

Ostia portus Romae ad Tiberis ostium situs.

Ostiense incommodum §. 33, καὶ ἐς τὴν ἠπειρον ἀνέβαινον (sc. οἱ λιπταὶ) καὶ πολλὰ καὶ ἐκείνους τοὺς μὴδὲ χρωμένους τῇ θαλάσῃ ἐλύπον καὶ ταῦτα καὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτὴν ἐποίουν. . . ἐς τε τὰς ἄλλας τὰς ταύτῃ πόλεις καὶ ἐς αὐτὰ τὰ Ὠστια ἐπέπλεον καὶ τὰς τε ναῦς ἔκαον καὶ πάνθ' ἤσπαζον. (Dio Cass. Ρωμ. ἱστ.)

Pamphylia §. 35, regio Asiae minoris inter Lyciam et Ciliciam ad mare internum sita.

patris exercitus §. 28, v. **Cn. Pompeius Strabo**.

patrium regnum §. 7, h. e. Pontus.

Perses §. 55, (sive Perseus), potentissimus Macedoniae rex ab a. 179, bellum gessit cum Romanis a. 171—168; ad Pydnam devictus a. 168 a L. Aemilio Paulo Macedonico aufugit et apud Samothracēn insulam Cn. Octavio ignave se tradidit ne pugna quidem suscepta; itaque Cn. Octavio triumphus navalis sine captivis et sine spoliis fuit. Minime igitur aptum h. l. est Persei exemplum. ('Persem classe superarunt' §. 7).

Philippus V §. 14, Macedonum rex a. 221—179, hostis Romanorum acerrimus, a T. Quinctio Flaminio victus ad Cynoscephālas in Thesalia a. 197. Cui Romani, quod Attalum, Pergami regem, Rhodios, alios socios Romanorum iniuriis lacessivisset, bellum intulerunt Atheniensium imprimis precibus commoti, quos Phil. agro vastato in urbem compulerat.

Cicero, de imp. Cn. Pompei.

L. Philippus §. 62, v. **L. Marcius Philippus**.

Poeni §. 14, i. q. Carthaginenses. His quoque, ut Philippo et Antiocho, bellum intulerunt Romani speciosis causis interpositis; primum enim Mamertinorum (bello Punico primo), deinde Sargentinorum (b. Pun. secundo), denique Masinissae (b. Pun. tertio) iniurias ulciscendas sibi esse simulaverunt.

Cn. Pompeius Strabo [§. 28 *patris exercitus, summus imperator*] magna cum gloria a. 90 pugnavit bello Marsico, ubi v. ('bello maximo' §. 28) adversus Itālos, consul a. 89. filius eius fuit

Cn. Pompeius Magnus §. 3, 5 ('unum expeti'), 10, passim, natus a. 106, iam bello Marsico (ubi v.) a. 91—88 in Cn. Pompei Strabonis exercitu cum Italis pugnavit 'extrema pueritia' (§. 28) h. e. a toga virili; bello civili Sullae in Italiam redeunti a. 83 tribus legionibus, quas suis opibus compararat et per medios Marianos adduxerat, auxilio venit, a quo *imperator* appellatus est. Marianos ad Senam in Umbria vicit, Praeneste ex-

pugnavit a. 82. Deinde in Siciliam, post in Africam a L. Sulla missus reliquias partium Marianarum, quae eo confugerant, celeriter oppressit, v. *Sicilia et Africanum bellum*. Quibus rebus gestis a Sulla, qui eum tum appellavit *Magnus*, impetravit, ut triumpharet a. 80 annos natus XXIV, etiamtum eques Romanus, cum antea nemo triumphasset, nisi qui dictator, consul, praetorve fuisset. — a. 78, 77 una cum Q. Catulo M. Aemilium Lepidum superavit, v. *civile bellum*. — a. 77 eques cum imperio proconsulari in Hispaniam missus adversus Sertorium primum dubio eventu pugnavit una cum Q. Metello Pio, deinde Sertorio interfecto a. 72 M. Perpernam superavit, bellum confecit, Hispaniam recepit a. 72. — Ex Hispania reversus parvulas reliquias fugitivorum¹⁾ a M. Crasso devictorum delevit, quam ob rem gloriatus est in epistula ad senatum missa — solitus enim est Pomp. rerum ab aliis gestarum gloriam praeri-

¹⁾ v. *servile bellum*.

pere — *ὡς αὐτὸς τὸν πόλεμον ἐκ ῥιζῶν ἀνήρηκε*; ad quod spectare videtur Cicero §. 30 *'quod bellum (scilicet servile) adventu eius sublatum atque sepultum est'*; nam ut in bello Sertoriano Q. Metellum Pium, sic in bello servili res praeclare a M. Licinio Crasso gestas silentio praetermittit Cicero iusto plus Cn. Pompei laudibus inserviens. — a. 71 ex senatus consulto iterum triumphavit eques Romanus (§. 62). — a. 70 *'legibus solutus'* (§. 62) consul factus est annos natus XXXVI. Erant autem duae leges, quibus solutus Pompeius consulatum nactus est: 1) *lex Villia annalis* a. 180 lata *de annis magistratum*, qua constitutum est, *'quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque'*; aetas legitima quaesturae erat annus aetatis XXXVII, consulatus autem annus XLIV; sed Pompeius anno aetatis XXXVI, quo ne quaestor quidem lege illa fieri potuit, nactus est consulatum. 2) *lex Cornelia* a L. Sulla dictatore lata, qua cautum est, ne quis praetor crearetur, antequam quae-

stura, neve consul, antequam praetura functus esset. — consul a. 70 Pompeius cum M. Crasso tribuniciam potestatem, cuius Sulla imaginem sine re reliquerat, restituit. — a. 67 ei lege Gabinia totius maris interni imperium traditum est ad praedones tollendos; quos paucis mensibus toto mari expulit atque delevit. — a. 66 eidem lege Manilia, quam suavit Cicero, dissuaserunt primores optimatum, imperium belli Mithr. mandatum est, quo confecto Pontum in provinciae formam redegit a. 63. — Cum Caesare et Crasso triumviratum iniit a. 60. Bello civili a Caesare victus ad Pharsalum a. 48 in Aegyptum profugit, ubi, antequam e navicula egrederetur, iussu Ptolemaei regis interfectus est.

Pontus §. 7, 21, passim, regio Asiae minoris in ora Ponti Euxini sita, Paphlagoniae, Cappadociae, Armeniae finitima.

praetor §. 33, quis fuerit, ignoratur; nomen eius siletur ut consulis illius (ibid.) ob rei ignominiam.

publicani §. 16, 17, qui quae-

stus causa vectigalia publica a censoribus conducta acerbissime exigebant a sociis et vectigalibus; erant autem publicani ordinis equestris, senatori enim quaestus omnis indecorus visus est.

Punicum bellum §. 60, est bellum Punicum tertium a. 149—146 gestum.

Quirites §. 1, 17, passim, idem quod *hastati*; nomen ductum a Sabino vocabulo *quiris* vel *curis* i. e. hasta; significantur igitur cives Romani, qui arma ferre possunt; sunt qui Livium secuti¹⁾ a Curibus, oppido Sabinorum, nomen derivandum putent.

Rhōdii §. 54, incolae Rhōdi, insulae maris interni, e regione Cariae, socii fuerunt Romanorum bello adversus Antiōchum Magnum, Syriae regem, gesto a. 192 — 190 et classem regiam vicerunt.

Sāmus §. 33, insula maris Aegaei, ubi Iunōnis templum

¹⁾ I, 13, 5: ita geminata urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati.

fuit celeberrimum, quod diripuerunt piratae.

Sardinia §. 34.

Scipio v. P. Cornelius Spicio Aemilianus.

C. Scribonius Curio §. 68, consul a. 76, pro consule a. 75—73 Dardānos, Thraciae gentem, subegit et primus Romanorum ad Danuvium fluvium progressus est, triumphavit a. 71; idem legi Maniliae favebat a. 66.

scriptura §. 15, h. e. illa pecunia, quam publicanis (ubi v.) solvebant pastores, ut pecora in agro pascuo publico pascere sibi liceret; *scriptura* autem dicebatur, quia publicani *scribendo* rationem conficiebant cum pastoribus.

Sertoriana pars §. 10, **Sertoriani duces** §. 21, v. **Q. Sertorius**.

Q. Sertorius, vir eximiae virtutis, bello civili a. 88—82 a Marianorum partibus stetit; a Sulla proscriptus in Hispania, quam provinciam obtinuerat, ingens bellum excitavit. Dux Lusitanorum creatus plurimas Hispaniae civitates in suam potestatem redegit et a. 81—72 adversus duos imperatores Romanos, **Q. Me-**

tellum Pium et **Cn. Pompeium**, fortissime pugnavit, saepius victor; a. 74 cum Mithridate se coniunxit eique duces bello exercitatos misit (*duces Sertoriani?* §. 27), veluti Varium, quem Mithridates classi praefecit. a. 72 a **M. Perperna** legato et aliis coniuratis in convivio interceptus est.

servile bellum §. 28, 30; quattuor et sexaginta fugitivi e ludo gladiatorio Capua profugientes duce Spartāco primo Vesuvium montem petierunt, brevi crescente in dies multitudine gravibus variisque casibus adfecerunt Italiam et quattuor exercitus Romanos fuderunt et adeo in dies auctus est numerus fugitivorum, ut qua ultima dimicavere acie, XC milia hominum se Romano exercitui opposuerint. Cuius belli profligati gloria penes **M. Crassum** fuit, a quo Spartācus cum maxima parte suorum caesus est a. 71 ad Silārum, Lucaniae flumen. parvas fugitivorum reliquias sub radicibus Alpium delevit **Cn. Pompeius** ex Hispania reversus, qui tamen gloriam sublatis belli sibi arrogavit atque artificiiis

suis effecit, ut sibi triumphus¹⁾ a senatu daretur, Crasso ovatio²⁾, v. **Cn. Pompeius**. Cicero quoque ll. cc. res a **M. Crasso** fugitivorum bello gestas consulto

¹⁾ qui triumphabat (§. 62, triumphus 28) curru aurato triumphali equis albis iuncto indutus tunica palmata et toga picta, corona laurea ornatus, Iovis Optimi Maximi ornata decoratus, via triumphali per portam triumphalem, quae erat in campo Martio, circum Flaminium, circum Maximum, sacram viam, forum Romanum in Capitolium profectus est, ubi sacra faceret in templo Iovis Optimi Maximi. Ducti ante currum hostium duces capti, militaria signa praelata, secutus exercitus praeda onustus, milites et ipsi laureati et suis quisque donis militariibus, quibus donati erant, insignes triumphum nomine cientes (*io triumphē*) suasque et imperatoris laudes canentes per urbem incedebant; nonnumquam etiam inconditi versus militari licentia iactati, quibus imperator increpitus est. Antequam in Capitolium ascenderetur, captivi abducebantur in carcerem, ut necarentur. — Contra cui ovatio tantum data est, is murtea corona ornatus nullis sequentibus aut equo vehens aut pedibus incedens in Capitolium ascendit, ibique ovem immolavit.

praeternitit laudibus Pompei nimis inserviens.

P. Servilius Vatia §. 68, gravissimus et sanctissimus civis, consul a. 79, a. 78—76 piratas vicit, sed non sustulit, aliquot oppida eorum munitissima cepit, ab Isaura capta *Isauricus* dictus est.

Sicilia §. 30, 34, 61, hanc insulam **Cn. Pompeius** a. 82, cum **M. Perperna**, Marianorum dux, in Hispaniam profugisset, sine ulla fere dimicatione subiecit.

Sinōpe §. 21, Paphlagoniae oppidum ad oram Ponti Euxini situm.

Sulla v. L. Cornelius Sulla, summus imperator §. 28, v. **Cn. Pompeius Strabo**.

Teutōni §. 60, v. **Cimbri**.

Tigrānes §. 4, 23, 45, rex Armeniae ab a. 94, magnam Asiae partem subegit, contra Romanos cum Mithridate socero bella gessit a. 89—84, a. 69—66; Mithridatem a. L. Lucullo pulsum suis opibus copiisque adiuvit, sed victus est a L. Lucullo ad Tigranocertam a. 69. Tamen a socero incitatus

bellare perseveravit, donec
Cn. Pompeius a. 66 Mithri-
datem ad Nicopolin devicit.
Tum Tigranes, simul a
Parthis petitus, supplex a
Pompeio pacem petiit, quam
impetravit.

Transalpinum bellum §. 28,
h. e. illud bellum, quod

Pompeius in Hispaniam
proficiscens a. 77 adversus
Galliae gentes gessit, quae
transitu eum prohibere volu-
erunt; v. Gallia.

triumphus §. 28, v. notam
p. 53.

unum expeti §. 5, scilicet Cn.
Pompeium Magnum, ubi v.



- *Herodoti de bello persico librorum epitome. Ed. Fr. Lauczizky.
Adiunctae sunt libr. I—IV partes selectae. 21 $\frac{1}{4}$ Bogen. cart. 95 kr.
- *Homeri Iliadis epitome. Quintum ed. Aug. Scheindler. Pars
prior Iliadis I—X. 12 Bogen. cart. 55 kr.
- * — — Tertium ed. Aug. Scheindler. Pars altera, Iliadis
XI—XXIV. 17 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 75 kr.
- *Homeri Odysseae epitome. Ed. Fr. Stolz. Pars prior (I—XII.)
12 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 50 kr.
- * — — Ed. Fr. Stolz. Pars altera (XIII—XXIII.) 9 $\frac{3}{4}$ Bogen.
cart. 40 kr.
- *Livii ab urbe condita librorum partes selectae. Ed. C. J.
Grysar. Recogn. R. Bitschofsky. Mit Index locorum und
4 Karten. 25 $\frac{3}{4}$ Bogen. cart. fl. 1.—
- *Nepotis vitae selectae. Ed. Rud. Bitschofsky. Adiecta est
tabula. 7 Bogen. cart. 40 kr.
- *Ovidii Nasonis carmina selecta. Ed. C. J. Grysar. Recognovit
et auxit Carolus Ziwsa. Editio tertia non mutata. 20 Bogen.
cart. 75 kr.
- Platons Laches. Iterum ed. Ed. Jahn. 8 Bogen. cart. 55 kr.
- Sallusti Crispi bellum Catilinae. Ed. secundam curavit Phil.
Klimscha. 3 $\frac{1}{2}$ Bogen. cart. 30 kr.
- — bellum Iugurthinum. Ed. quartam curavit Phil. Klimscha.
8 Bogen. cart. 30 kr.
- Taciti ab excessu divi Augusti libri qui supersunt. Ed. Ig.
Prammer. Pars prior libri I—VI. 18 $\frac{1}{4}$ Bogen. cart. 90 kr.
- — Ed. Ig. Prammer. Pars posterior libri XI—XVI.
20 Bogen. cart. 90 kr.
- — Germania. Ed. Ig. Prammer. Adiecta est tabula, qua
Germaniae antiquae situs describitur. 3 Bogen. cart. 30 kr.
- *Virgilii Maronis Aeneidos epitome. Accedit ex Georgicis et
Bucolicis delectus. Ed. Em. Hoffmann. Editio tertia.
17 Bogen. cart. 70 kr.

Die mit * bezeichneten Bearbeitungen sind vom h. Ministerium approbiert.